

nis prærogativa ostendi possit. Quæ enim solida ratio esset, statuendi, quod soli Mosis, non aliis simul scriptoribus sacris, & res & verba sint inspirata. Nam ratio illa, quam ante citatus *Menasse Ben Israël* affert: quod Moses, revelationes sibi factas narrans, loquatur de semet ut tertia persona, e. g. *Et dixit Dominus Mosis*; cum alii Prophetæ contra hac loquendi formula utantur: *dixit Dominus mihi*, nimis trivola est; cum contraria utriusq; exempla occurrant, nempe *Deut. 2. v. 17, 31. & Jes. VII, 3. Jer. VII. 1.* Id interim negare nequeo, maximam fore *Pentatevchi* præ *Prophetis* auctoritatem, si hi verba, non æq; ac Moyses, ex immediata inspiratione habuissent, secus ac existimat *Clariff. Frischm. l. c. c. 1. §. 5;* quia maximum veritati patrocinium accedit ex ipsis verbis res exprimentibus, quæ sane à nemine mortalium tam emphatica ac sufficientia expectari possunt, etsi verbis humanis nullus inesse error statuatur) quam ab ipso sapientissimo pariter ac omniscio Numine. Cont. verba huc pertinentia magni *Calovij* aliaq; in *dissensu Jen. ab Elector. num. X.* Deinde perverissimum est, quod *Judæi Hagiographorum* auctoritatem tantopere deprimant, minorem iis influxus Divini gradum, quam Prophetis, quos vocant,tribuendo. Sic nulla apparet causa, quare scriptor *libri Josue* Prophetæ fuisse statuatur, non autem *libri Chronicorum*. Porro, unde probari potest, quod *Daniel*, qui, ut *Abarbenel* contra *Maimonidem* rectè probavit, *nulli Prophetarum fuit secundus*, cui Angelus tanti momenti res annunciavit *Dan. VIII, 16*, cui jussum Divinum factum est: *Obsigna hunc librum ad tempus determinatum usq;* *Cap. XII, 4;* non ex divino jussu scripserit, & non eadem prærogativa in scribendo gauisus sit, quâ reliqui Prophetæ. Id sanè absurdum est, quod *Judæi* ex propria auctoritate inter scripta *Prophetica* & per *Spiritum S. consignata* tantum ratione influxus discrimen constituere audeant; cum in *psalmorum* libro tot de Messia ejusq; Ecclesia vaticinia occurrant, cont. *Act. 1, 16. II. v. 30, Matth. XXVII, 35;* & *Spiritus Sancti* afflatus omnibus sacris scriptoribus communis sit, sicut ipse *Abarbenel* fatetur *Comm. in Dan. p. 19;* (ad quem locum provocat quoque *Frischmuth. Cap.*

Cap.